

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (24)

4.10. DE EXTERIORE EXTENTIONE CONGREGATIONIS OTTILIENSIS

4.10.1. De condicionibus novis in primis regionibus missionariis

4.10.1.1. De missione Africana

4.10.1.1.1. De nova regione missionaria in Africa meridionali suscepta

Cum episcopus Thomas Spreiter, postquam ex Africa orientali expulsus est, iterum in Germaniā versaretur, iam de novā regione missionariā cogitare et eandem quaerendam atque acquirendam curare coepit. Nam spes, ut missionarii Germani in Africam orientalem reverti possent, vix erat. Itaque imprimis novus locus operandi pro missionariis Benedictinis inveniendus erat, qui Africam orientalem relinquere coacti erant.

Deliberationes autem Thomae Spreiter satis celeriter dirigebantur ad Africam meridionalem. Nam nonnullis Benedictinis Sororibus Tutzingensibus, quae iam in Africa orientali cum missionariis Benedictinis cooperabantur, contigit, ut P.re Ildefonso Lanslots Praefecto Apostolico Transvaliae septentrionalis adiuvante¹ vitare valerent, ne in Germaniam remitterentur, sed ut unā cum Superiorissā suā Amandā Rankl in Africam meridionalem transmigrare possent.² Eadem ibi partim in monasterium Mariannahill recipiebantur, partim ad opera missionaria suscipienda propositum in Suazilandiā cooperandi acceperunt. Tamen condiciones missionariae ibidem non videntur fuisse nimis prosperae. Quod episcopus Thomas Spreiter ex epistulis Sororis Amandae percepit. His nuntiis videtur idem instigatus fuisse, ut cogitaret de Suazilandiā sibi atque Congregationi Ottiliensi acquirendā ut novā regione

1 In hanc rem etiam involutus erat P. Eduardus [*Edward*] Schröder SJ Nederlandus, qui anno 1920^o breviter in Africa orientali versabatur atque episcopum Thomam Spreiter visitans de difficultatibus Benedictinorum audivit et sortem saltem Sororum mutare conatus est. - P. Eduardus Schröder et P. Ildefonsus Lanslots antea papa Benedicto XV rogante visitationem canonicam Consociationis missionariae Mariannahilliensis instituerant.

2 De hōc conexū fusius *cfr* Godfrey SIEBER: Der Aufbau der katholischen Kirche im Zululand. Münsterschwarzach 1979, pp. 59 sqq.; Godfrey SIEBER: The Benedictines of Inkamana. St. Ottilien 1995, pp. 32 sqq. - Bernita WALTER: Von Gottes Treue getragen. 1. St. Ottilien 1985, p. 222 rem etiam breviter commemorat et nomina quōque Sororum indicat, quae ex Africa orientali statim in Africam meridionalem transmigraverunt.

missionariā.³ Putavit enim se condiciones ibidem vigentes in melius mutare valere.⁴ Itaque statim Romam scripsit et se obtulit ad hanc regionem suscipiendam.⁵

Generaliter haec cogitatio, quā Suazilandia Benedictinis traderetur, in Vaticano bene recepta et deliberatū digna fuisse videtur. Ex epistulia P.ris Eduardi Schröder Iesuitae, qui Romae operabatur et cui haec quaestio missionis Benedictinae cordi erat, Thomas Spreiter ab initio de statu progressūque rerum iterum iterumque certior factus est. Sic idem Kalendis Ianuariis a. 1921ⁱ adnotavit se ex responso P.ris Schröder satis certum esse Suazilandiam Benedictinis regionem missionariam traditum iri, cum Praefectus Congregationis de Propaganda Fide huic rei faveret.⁶ Ipsa autem Congregatio de Propaganda Fide in initio anni 1921ⁱ serio consultationes de hac quaestione inire coepit. Iam die 10^o m. Ian. a. 1921^o Cardinalis Vilelmus van Rossum, Praefectus huius Congregationis, ad Thomam Spreiter scripsit eum rogans, ut unā cum nonnullis sociis in Suazilandiam iret.⁷

Hoc propositum Thomas Spreiter scilicet statim archiabbati Norberto Weber communicavit,⁸ cui, cum esset Superior generalis, saltem ex parte Congregationis Ottiliensis de accipiendo vel de refutando decernendum erat. Archiabbati ipsum propositum non displicuit, sed quasdam deliberationes

3 Cfr Thomae Spreiter diarium, 16.12.1920 (ASO, A.1.8.1), ubi de hac re refert. - Cfr Godfrey SIEBER (1979), p. 65; Godfrey SIEBER (1995), p. 40.

4 Godfrey SIEBER (1995), p. 41 verisimiliter recte suspicatur Thomam Spreiter etiam propter sortem Sororum, quibuscum iam in Africā orientali cooperabatur, in Africam meridionalem magis attendisse.

5 Cfr Thomae Spreiter diarium, 16.12.1920 (ASO, A.1.8.1). - Cfr etiam Godfrey SIEBER (1979), p. 65; Godfrey SIEBER (1995), p. 41.

6 Cfr Thomae Spreiter diarium, 1.1.1921 (ASO, A.1.8.1). De suā perceptione rei P. Eduardus Schröder rettulerat epistolā die 22 m. Dec. a. 1920 datā. - Cfr etiam Godfrey SIEBER (1979), p. 65; Godfrey SIEBER (1995), p. 42.

7 Cfr Thomae Spreiter diarium, 23.1.1921 (ASO, A.1.8.1). - Cum Cardinalis Vilelmus van Rossum in illā epistolā scripserit Thomae Spreiter in Suazilandiam eundum esse, «*usque dum meliora tempora venirent*», videtur episcopus hac locutione de condicione propositā non satis securus fuisse. Itaque ipso interrogante responsum accepit secundum sententiam Cardinalis opera Benedictinorum ibidem non fore ad tempus quoddam, eum solum dicere voluisse, si condicionibus politicis hōc aliquando permitteretur, episcopo Thomae Spreiter relictum iri, num in Africam orientalem reverti vellet. Cfr Thomae Spreiter diarium, 17.2.1921 (ASO, A.1.8.1).

8 Postea Praelati Congregationis quōque hōc thema inter Capitulum intermedium anni 1921ⁱ disputaverunt. - De hōc Capitulo intermedio cfr supra cap. 4.9.3.1.

condicionesque hōc in conexū protulit. Nam magni momenti ei erat dispositio generalis. Noluit enim Congregationem Ottiliensem labores solum modo transitorio atque provisorio suscipere, cum tali condicione incertā opera denique essent frustra exhibita, quā de causā putavit propriam regionem missionariam esse omnino necessariam. Hanc opinionem suam non solum Thomae Spreiter communicavit,⁹ sed etiam Abbati Primati Fideli von Stotzingen, cui praeterea scripsit missionaria opera magis Benedictina quam in Africā orientali in novo incepto esse opportuna.¹⁰ Denique etiam ad ipsam Congregationem de Propaganda Fide epistulam misit, quā his condicionibus respectis cooperationi in Africā meridionali annuit.¹¹ Itaque episcopus Thomas Spreiter satis certus erat se in Africam meridionalem missum iri.¹²

Tamen res iterum non ita faciles erant, quam primo obtutū fortasse videbantur. Nam unā ex parte Congregatio de Propaganda Fide consultationes inire debuit imprimis cum episcopo Henrico [Henri] Delalle, Vicario Apostolico Nataliae, ad cuius iurisdictionem Suazilandia pertinuit.¹³ Praeterea P. Idefonsus Landslots adeundus erat, quia Thomas Spreiter proposuerat, ut Suazi-

9 Cfr Norberti Weber epistula die 27 m. Ian. a. 1921 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.3.0.1.5). - Cfr etiam Thomae Spreiter diarium, 30.1.1921 (ASO, A.1.8.1).

10 Cfr Norberti Weber epistula Kal. Febr. a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1 (Asien)). - Cfr Cyrill SCHÄFER: Stella maris. St. Ottilien 2005, p. 97.

11 Cfr Norberti Weber epistula die 6 m. Mart. a. 1921 ad Congregationem de Propaganda Fide directa, cuius textus est hic: «*Cum Eminentia Vestra nonnullis abhinc hebdomadis benignissime annuisset, ut Rms. Episcopus Thomas Spreiter O.S.B. Vicarius Apostolicus de Daressalaam cum aliquot Sodalibus Congregationis nostrae Missionibus in regione meridionali Africae operam navaret, his diebus cum Rms. Praesulibus Congregationis nostrae hac de re tractavimus et omnes unanimiter propositum acceperunt ea condicione ut opus noviter in istis regionibus suscipiendum non transitorio tantum modo fundetur sed ita ut huic fundationi nunc vel postea territorium missionis adiungatur. Post Pascha Rms. Episcopus Thomas Spreiter ut hac de re tractet eamque ad finem perducatur, Romam veniet a Capitulo nostro generali in hac re autorizatus. - Congregatio nostra optat et sperat hunc laborem suscipiendo aliquantulum pro S. Ecclesia praestare posse et hanc ob causam Eminentiae Vestrae non solum gratias agit pro benevolentia semper praestita et hoc in casu manifestata sed etiam rogat, ut Ipsa nobis et in futuro pie favere dignetur.*» - (Textus originaliter Latinus, qui invenitur in Thomae Spreiter diario, 6.3.1921 (ASO, A.1.8.1)). - Textum etiam exhibet Godfrey SIEBER (1995), p. 653.

12 Cfr Thomae Spreiter diarium, 17.2.1921 (ASO, A.1.8.1). - Sed hoc semper valebat sub condicione, quā ei officialis licentia regionem intrandi praeretur.

13 Cfr Godfrey SIEBER (1979), p. 65; Godfrey SIEBER (1995), p. 42.

landiae pars quaedam Transvaliae septentrionalis adiungeretur.¹⁴ Problema autem verum ab Ordine Servorum Mariae (OSM) exortum est. Nam iam mense Aprili a. 1913ⁱ Suazilandia ab Congregatione de Propaganda Fide Tirolensibus missionariis illius Ordinis tradita erat. Cum iidem tunc perciperent regionem suam in eo esse, ut Benedictinis committeretur, scilicet non erant delectati, immo solliciti erant et reclamantes ad Congregationem de Propaganda Fide se converterunt.¹⁵ Ipse Superior generalis Ordinis Servorum Mariae mense Martio a. 1921ⁱ hac de re colloquium cum Cardinali Vellelmo van Rossum habuit.¹⁶ Sed etiam Thomas Spreiter, postquam conexūs comperuit et plura quōque de operibus illius Ordinis didicit, putavit illis missionariis aliquo modo nocere non licere.¹⁷ Sic illa deliberatio de Suazilandā Otilianis tradendā in irritum cecidit atque transacta erat.

Sed nondum tota quaestio novae regionis missionariae transacta erat. Nam P. Eduardus Schröder Cardinali Vellelmo van Rossum novum propositum exhibuit.¹⁸ Idem enim, quia anno anteriore in Africā meridionali versabatur atque ibīdem quandam scientiam condicionum sibi acquisiverat, proposuit, ut Benedictinis Otilianis maior pars Zululandiae, id est tredecim districtūs illius territorii,¹⁹ ut regio missionaria traderetur, cum ibīdem, quod attinebat ad euangelizationem, nondum multum factum esset.²⁰ Et episcopo Thomae Spreiter et archiabbati Norberto Weber haec nova cogitatio non inopportuna esse videbatur.²¹

14 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 3.3.1921 (ASO, A.1.8.1).

15 De hac re paulo fusius *cfr* Godfrey SIEBER (1979), pp. 65 sq.; Godfrey SIEBER (1995), pp. 42 sqq.

16 Hoc commemorat etiam Thomas Spreiter in epistulā die 24 m. Mart. a. 1921 ad Norbertum Weber directā (ASO, Z.3.0.1.5); *cfr* etiam Thomae Spreiter diarium, 24.3.1921 (ASO, A.1.8.1).

17 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 9.3.1921 et 24.3.1921 (ASO, A.1.8.1), ubi etiam de eādē opinione P.ris Eduardi Schröder refertur.

18 *Cfr* Godfrey SIEBER (1979), pp. 66 sq.; Godfrey SIEBER (1995), pp. 43 sq.

19 Agebatur autem in proposito P.ris Eduardi Schröder de districtibus his: 1. Ingwavuma, 2. Ubombo, 3. Hlabisa, 4. Umfolosi, 5. Ngotshe, 6. Ndwandwe, 7. Mahlabatini, 8. Entonjani, 9. Nkandla, 10. Babanango, 11. Nqutu, 12. Vryheid, 13. Paulpietersburg. - *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 3.5.1921 (ASO, A.1.8.1).

20 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 24.3.1921 (ASO, A.1.8.1).

21 *Cfr* Thomae Spreiter epistula die 24 m. Mart. a. 1921 ad Norbertum Weber directa; Norberti Weber epistula die 26 m. Mart. a. 1921 ad Thomam Spreiter missa (ASO, Z.3.0.1.5).

Quamquam in Vaticano consultationes de regione missionariā Benedictinis tradendā iam inchoatae erant, episcopus Thomas Spreiter in fine mensis Aprilis a. 1921ⁱ Romam vectus est, ut ipse ex propinquo rem curare atque commoda Ottilianorum respiciens colloquia cum Cardinali Villoredo van Rossum imprimis de novā regione missionariā instituere posset.²² Iam Kalendis Maiis Cardinalis van Rossum Thomam Spreiter recepit, qui hac occasione comperit quaestionem Suazilandiae esse finitam et nunc revera agi de Zululandiā.

Primis diebus, quibus Romae versabatur, Thomas Spreiter P.rem Villibaldum Wanger cognoverat, qui aliquando ad Consociationem Mariannhilliensem pertinuerat et qui condiciones Nataliae atque Zululandiae bene noverat. Idem autem suavitatis, ut episcopus rogaret, ut novā regione missionariā totā Zululandia contineretur, id est usque ad fluvium Tugelam in meridie situm. Hoc significavit includendos fuisse duos alios districtūs, nempe Mtungini atque Eshowe.²³ Hō territorium dilatatum Thomas Spreiter in consultationibus quōque cum Congregatione de Propaganda Fide habitis proposuit et videtur etiam assensionem quandam audivisse.

Tamen iterum difficultates quaedam exortae sunt. Nam in districtū Eshowe sitae erant duae stationes missionariae, nempe Mbongolwane atque Entabeni, quae curabantur ab Ordine Oblatorum (OMI).²⁴ Et hoc erat problema, cum Oblati scilicet stationes suas retinere vellent.²⁵ Itaque iidem scripto quodam ad Congregationem de Propaganda Fide se converterunt vehementer refragantes, ne stationes, in quos plurimos labores imposuissent, ipsis auferrentur.²⁶ Praeterea die 25^o m. Maii a. 1921^o archiepiscopus Augustinus Dontenwill, Superior generalis Oblatorum, Thomam Spreiter adhuc Romae versatum visitavit de eodem themate questus atque - sicut in scripto ad Congregationem de Propaganda Fide directo - proponens, ut Ottilianis tantummodo dimidia pars Zululandiae traderetur.²⁷ Sic illae stationes Oblatorum erant «lapis offensionis», quo factum est, ut de finibus novae regionis missio-

22 Ei etiam alia themata illo tempore cordi fuisse eumque in eadem quōque strenue incubuisse iam antea vidimus. *Cfr* supra cap. 4.9.4.

23 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 3.5.1921 (ASO, A.1.8.1). - *Cfr* Godfrey SIEBER (1979), p. 66; Godfrey SIEBER (1995), p. 45.

24 Congregatio Missionariorum Oblatorum Beatae Mariae Virginis Immaculatae.

25 Statio Entabeni condita erat anno 1895 et statio Mbongolwane anno 1914.

26 *Cfr* Godfrey SIEBER (1979), p. 67; Godfrey SIEBER (1995), pp. 45 sq.

27 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 25.5.1921 (ASO, A.1.8.1).

nariae denuo disputaretur.

Itaque res aliquatenus protractae sunt, cum responsales Congregationis de Propaganda Fide solutionem invenire deberent omnes condiciones respicientes.²⁸ Sed et consultores Thomae Spreiter opinionem eius quoad totam Zululandiam firmaverunt et archiabbas Norbertus Weber quōque scripsit Otilianos Zululandiam maxime minoratam omnino non accepturos esse.²⁹

Quamquam propter difficultates recenter exortas progressus paulo retardabatur, episcopus Thomas Spreiter certus erat se brevi tempore novam regionem missionariam accepturum esse. Itaque die 27^o m. Maii a. 1921^o documento officiali misso ab munere suo Vicarii Apostolici Daressalamensi necessario se abdicavit.³⁰ Sic illud temporis spatium Africae orientalis definitive finitum erat.³¹

In initio mensis Iunii Thomas Spreiter ex urbe Romā iterum in Germaniam revertit. Tamen res nondum erat decreta, quam condicionem idem aliquatenus aegre tulit, quia nihil modo certo praeparare valuit. Denique in fine mensis Augusti Congregatio de Propaganda Fide officialiter novam regionem missionariam instituendam constituit, id quid decreto die 27^o m. Aug. a.

28 In colloquio die 4^o m. Iun. a. 1921^o cum Thoma Spreiter habito Cardinalis van Rossum dixit imprimis sententiam episcopi Henrici Delalle de illis duobus districtibus esse audiendam, cum Zululandia ad eius iurisdictionem pertineret. *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 4.6.1921 (ASO, A.1.8.1). - Illo in colloquio verba Cardinalis iam multo cautius sonabant quam antea, cum die 26^o m. Iul. a. 1921^o ab Thoma Spreiter specialiter interrogatus affirmavisset omnibus dubitationibus Oblatorum prolatis se decreturum esse. *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 26.6.1921 (ASO, A.1.8.1). - Godfrey SIEBER (1979), p. 66 et (1995), p. 45 scribit Thomam Spreiter deliberationem ad illos duos alios districtūs spectantem die 4^o m. Iun. a. 1921^o in colloquio cum Vellelmo van Rossum protulisse. Hoc indicium vero sonat tamquam illo die primā vice sermo de illo proposito fuisset. Congregationem de Propaganda Fide tamen iam antea de hōc consilio scivisse apparet unā ex parte ex prioribus notitiis in diario Thomae Spreiter inveniendis, alterā ex parte iam mense Maio a. 1921ⁱ Oblati propter has deliberationes reclamaverunt.

29 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 15.6.1921 (ASO, A.1.8.1).

30 Resignationis textus originaliter Latinus invenitur in Thomae Spreiter diario, 27.5.1921 (ASO, A.1.8.1); documentum inde depromptum etiam exhibet Godfrey SIEBER (1995), p. 654. - De ipso textū *cfr* supra cap. 4.6.2.1.1.

31 Cum Thomae Spreiter mense Septembri a. 1921ⁱ officiale documentum die 30^o m. Iun. a. 1921^o datum, quo eius resignatio accipiebatur, missum est, idem, etiamsi ipsam rem iam pridem sciebat, nostalgicā quādam - ut ipse scripsit - correptus est recordationes priorum temporum meditatus. - *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 8.9.1921 (ASO, A.1.8.1).

1921^o dato divulgatum est.³² Textus autem huius decreti est hic:³³

«*Quo Christiani nominis propagationi aeternaque saluti fidelium in Orientali regione Vicariatus Apostolici Natalensis aptius prospiceretur, opportunum visum est novam ibi missionem condere novosque eo mittere Apostolicos Operarios.*

Qua propter Eminentissimi huius S. Consilii Fidei Propagandae Patres in plenario coetu die 1 vertentis mensis Augusti habito censuerunt praedicto Natalensi Vicariatu territorium de Zululand septentrionali cum districtibus finitimis seiungere, sicutet: Ingwavuma, Paul-Pietersburg, Ngotshe, Ubombo, Vryheid, Ndwandwe, Babanango, Mahlabatini, Hlabisa, Entonianeni, Umfolosi; quattuor exceptis districtibus id est Mtunzini, Eskowe, Nkanshala et Ugutu, in eoque territorio novam Praefecturam erigere appellandam de Zululand curisque committendam alumnorum Congregationis Benedictinae de S. Ottilia in Bavaria.

Hanc vero Eminentissimorum Patrum sententiam Sanctissimo P.N. Benedicto div. prov. PP. XV in audientia diei 8 eiusdem mensis ab infrascripto S. huius Congregationis Secretario relatam Sanctitas Sua benigne adprobare ratamque habere dignata est et praesens in re Decretum confici iussit.»


Eodem tempore episcopus Thomas Spreiter huius regionis Praefectus Apostolicus redditus est. Duae autem res hōc in conexū adnotandae sunt: nam unā ex parte solum undecim districtūs aliter ac in deliberationibus praevis regione missionariā Zululandiae continebantur,³⁴ alterā ex parte instituebatur Praefectura Apostolica neque Vicariatus. Cum esset condicio non ita solita episcopo cuidam Praefecturam Apostolicam tradi, hanc rem explicans P.

32 Dies apparet ex ipso documento. Itaque videtur Thomas Spreiter errare, cum in diario suo (23.9.1921 (ASO, A.1.8.1)) scripserit decretum Kalendis Septembribus a. 1921ⁱ esse datum. Eum secutus etiam non recte diem adnotavit Godfrey SIEBER (1979), p. 67; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, p. 88. Cfr etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 97, qui quōque de mense Septembri scribit. - Aliter et recte Cyrillus WEHRMEISTER: Die Benediktinermissionäre von St. Ottilien. St. Ottilien ³1939, p. 83; Cyrillus WEHRMEISTER: Die Entwicklung der Erzabtei und der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. In: Lumen Caecis. St. Ottilien 1928, p. 164; Beda DANZER: Die Benediktinerregel in der Übersee. St. Ottilien 1929, p. 72; Godfrey SIEBER (1995), p. 49. - Solum mensem Augustum indicat Godfrey SIEBER: Die Benediktinermission in Ostafrika während und nach dem ersten Weltkrieg. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 326.

33 Textus originaliter Latinus. - Cfr Godfrey SIEBER (1995), pp. 655 sqq.

34 Deerant districtūs Nkandla et Nqutu.

Eduardus Schröder scripsit hoc factum esse, quia esset regio missionaria omnino nova. Ipse Thomas Spreiter tamen putavit causam fuisse in eo, ne episcopus Henricus Delalle neque Oblati magis irritarentur.³⁵




*Charta geographica Praefecturae Apostolicae Zululandiae
(quoad nomina Latina adaptata).
[Godfrey SIEBER (1995), p. 670.]*

Postquam officiale decretum die 23^o m. Sept. a. 1921^o in archiabbatiam Otiliensem pervēnit,³⁶ tandem iter in Africam meridionalem praeparari, res transportandae componi, pecunia necessaria colligi acquirique potuit. Primus autem grex missionariorum, qui Zululandiae destinati erant et ad quos pertinebant P. Theodosius Schall, P. Pancratius Pfaffel, Fr. Blasius Brummer

35 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 8.9.1921 (ASO, A.1.8.1). - Tamen Thomas Spreiter videtur deceptus fuisse et semet ipsum consolatus scripsit initium magis humile esse melius.

36 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 23.9.1921 (ASO, A.1.8.1).

atque Fr. Willigis Gaßner,³⁷ die 13^o m. Nov. a. 1921^o ex patriā profectus est.³⁸ Advenerunt vero hi primi missionarii in Africam meridionalem die 21^o m. Dec. a. 1921^o, ubi bene atque amicaliter recepti sunt ab missionariis



Primi missionarii, qui in Zululandiam profecti sunt.

A sinistris sedentes: P. Theodosius Schall, episcopus Thomas Spreiter (qui postea secutus est), P. Pancratius Pfaffel; stantes Fr. Willigis Gaßner, Fr. Blasius Brummer.
[Leuchter IV (1993), p. 104,4].

Mariannhilliensibus. Commemorandum autem est hōc in conexū Mariannhillienses ab initio Otilianos multimodis adiuvisse, cum eis non solum licuit ibi habitare, usque dum proprium locum condendi invenerunt, sed etiam variis in stationibus Mariannhilliensibus ad opera sua se praeparare et linguam Zululandicam addiscere potuerunt, praeterea semper bonis consiliis instruebantur.³⁹

37 *Cfr* Chron. Otil. m. Aug./Sept./Oct. a. 1921. - *Cfr* Godfrey SIEBER (1979), p. 68; Godfrey SIEBER (1995), p. 55; Godfrey SIEBER: Die Otilianer Eshowe-Mission. *In:* Leuchter II (1992), p. 178; Godfrey SIEBER: Die Entwicklung der Benediktinermission im Zululand. *In:* Leuchter IV (1993), p. 2. - Magis generaliter Godfrey SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. *In:* Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 326. - Hi omnes monachi commemorati iam in regione missionariā Africae orientalis cooperabantur.

38 Mirum autem est Thomam Spreiter hanc perfectionem, quae non erat nullius momenti, in diario suo omnino non commemoravisse.

39 Iam cum innotesceret missionarios Otilianos in Africam meridionalem venturos esse, Superior Mariannhilliensis Thomae Spreiter scripsit eum eiusque comites invitatos esse, ut ad Mariannhillium venirent ibique manerent, usque dum locum proprium condendi invenissent. *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 16.6.1921 (ASO, A.1.8.1). - Ceterum scitū

Participibus primi gregis munus erat, quō totam rem iam paululum praepararent, ipsam regionem missionariam inspicerent atque spectarent, ubi opportunus locus condendi esset. Apostolica Praefectura Zululandiae ab Oceano Indico in eius margine orientali sito per satis magnum spatium territorii in occidentem extendebatur, in septentrione finitima erat Mozambico atque Transvaliae, in meridie confinis erat Nataliae. Inhabitabant hanc regionem illo tempore 212133 Africani, 9676 Europaei et 1722 mixticii atque Asiani.⁴⁰ Ex illis in summā tantummodo circiter quingenti homines erant catholici, ex quibus trecenti quadraginta nigrityae. Inde iam apparet, quam magnus campus operandi Otilianis commissum est, cum imprimis pro nigrityae catholicis disperse habitantibus non exstaret regularis atque ordinata cura animarum. Ad conspectum condicionum sibi acquirendum primus P. Theodsus Schall mense Ianuario a. 1922ⁱ iter per regionem Benedictinis destinatum fecit comitatus ab Oblatorum P.re Luciano Delagne.⁴¹ Itinerabantur autem ab loco Dundee usque ad oppidum Vryheid in occidente Praefecturae situm. Illud oppidum Vryheid ab pluribus peritis aptum opportunumque locum ad statio-

dignum est Mariannahillenses iam ex pluribus annis bonum contactum cum Otilianis habuisse. Nam iidem de coniunctione cum Otilianis quadamtenus deliberavisse dicuntur illo tempore, quo propter opus suum missionarium in eo erant, ut ab Ordine Cisterciensium Strictioris Observantiae (OCSO) (qui notior est sub nomine Trappistarum) semet ipsos separarent. Illo in processū separationis Trappistarum Abbas Generalis Augustinus Marre epistolā die 2^o m. Febr. a. 1908^o datā monachis Mariannahillensibus nuntiavit Ordinem Congregatione de Propaganda Fide assentiente licentiam praeuisse, quā «Synodus Generalis» fieret, inter quam de omnibus quaestionibus missionariis disputaretur. Praepositus illius conventūs destinatus erat episcopus Vilelmus [*William*] Miller Hibernus, Vicarius Apostolicus Transvaliae. Consultationibus cum episcopo Miller habitis Mariannahillensis Prior Isembardus Leyendecker eidem significavit plerosque monachos suos difficultates Anglice fluenter loquendi habere, quā de causā Vilelmus Miller telegraphema ad Trappistarum Abbatem Generalem misit episcopum Germanum praefendum esse praepositum conventūs et se Daressalamensem episcopum Thomam Spreiter proponere. Tamen hōc propositum non accipiebatur. Causae autem non satis notae sunt, quamvis suspicio quaedam sit Superiores Trappistarum timuisse, ne episcopo Thoma Spreiter praesidente exemplum Otilianum nimium effectum exereret. - *Cfr* Frumentius RENNERT: Mutterabtei St. Ottilien und Entfaltung der Kongregation. *In*: Leuchter II (²1992), pp. 21 sq. et adn. 22; Joseph DAHM: Mariannahill. Wien 1949, pp. 110 sqq.

40 Hi numeri deprompti sunt ex libris his: Godfrey SIEBER (1979), p. 71; Godfrey SIEBER (1995), p. 50. Numeros magis rotundatos praebet Godfrey SIEBER: Die Otilianer Eshowe-Mission. *In*: Leuchter II (²1992), p. 179.

41 *Cfr* Godfrey SIEBER (1995), pp. 55 sq.

nem missionariam condendam esse commendabatur. Itaque etiam P. Pancratius Pfaffel mense Martio a. 1922¹ ibidem per unam septimanam versabatur. Etiam si episcopus Thomas Spreiter commercio epistulari de omnibus condicionibus deliberationibusque certior factus est et ipse quoque adnotationes suas misit,⁴² Patres in Africā meridionali iam versantes nihil decernere voluerunt, antequam episcopus ipse adesset.

Thomae Spreiter in animo fuerat die 13^o m. Ian. a. 1922^o in Africam meridionalem proficisci, sed inde ab mense Decembri a. 1921¹ morbo, id est venenatione sanguinis correptus diutius impeditus erat, quominus iter susciperet.⁴³ Denique die 20^o m. Mart. a. 1922^o Hammaburgi navem conscendere valuit Africam petiturus.⁴⁴ Tamen etiam haec vectatio non erat sine problematis, cum propter defectum navis omnes diuturnā morā Olisiponi retenti sunt.⁴⁵ Itaque episcopus unā cum comitibus suis denique die 25^o m. Maii a. 1922^o Durbaniam pervēnit.⁴⁶ Secum attulerat P.rem Rudolfum Reiser, F.rem Augustinum Kleck, F.rem Vendelinum Thoma et F.rem Mauritium Kröhling,⁴⁷ qui quōque antea iam in Africā orientali cooperabantur.

42 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 3.2.1922 sqq. (ASO, A.1.8.1). - Die 10^o m. Ian. 1922^o idem in diario suo iam adnotaverat Patres Mariannahillenses putare bonum esse ab oppido Vryheid novam missionem incohare, cum orientalis regio litoralis non esset salubris.

43 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 24.12.1921 sqq. (ASO, A.1.8.1), ubi de ipso morbo atque de reconvalescentiā protractā rettulit.

44 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 20.3.1922 (ASO, A.1.8.1). - *Cfr* Godfrey SIEBER (1995), p. 56.

45 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 27.3.1922 sqq. (ASO, A.1.8.1).

46 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 25.5.1922 (ASO, A.1.8.1). - *Cfr* Godfrey SIEBER (1979), p. 68; Godfrey SIEBER (1995), p. 56. Magis generaliter Godfrey SIEBER: Benediktinermission in Ostafrika. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 326.

47 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 4.3.1922 (ASO, A.1.8.1). - *Cfr* Godfrey SIEBER (1979), p. 68; Godfrey SIEBER: Benediktinermission im Zululand. In: Leuchter IV (1993), p. 3. - Mirum autem est, quod Godfrey SIEBER (1995), p. 56 F.rem Mauritium Kröhling non commemorat. - Ceterum omnes Patres Fratresque, qui in primo atque secundo grege in Africam meridionalem vērunt, iam ut mittendi quadamtenus designabantur in primo colloquio, quod archiabbas Norbertus Weber et episcopus Thomas Spreiter die 4^o m. Mart. a. 1921^o de novā regione missionariā futurā habuerant. *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 4.3.1921 (ASO, A.1.8.1). Illo tempore etiam sermo fuerat de F.re Magno Meiller, qui denique die 20^o m. Iun. a. 1923^o in Zululandiam missus est, de F.re Martino Jerger, qui munus in terris extraneis non iam suscepit (*cfr* Ottilianum Necrologium 2000, p. 89, nr 744 et p. 87, nr 726), et de F.re Ephraimo Lang, qui deinde non iam commemoratur (etiam in Necrologio eius nomen non invenitur).

Paulo post adventum suum iam in initio mensis Iunii a. 1922¹ Thomas Spreiter unā cum P.re Theodosio Schall atque P.re Pancratio Pfaffel iter per Praefecturam Zululandiae suscepit,⁴⁸ quia omnibus condicionibus inspectis imprimis locum aptum invenire voluerunt, in quo statio centralis opportune condi posset.⁴⁹ Haec quaestio erat magni momenti, quia unā ex parte talis locus multa emolumenta, quod attinet ad ipsam missionem et ad condiciones oeconomicas habere debuit, alterā ex parte variis ex causis nulla experimenta in condendo fieri potuerunt. Post eorum reditum ergo consiliis Patrum Miariannhilliensibus quoque auditis P. Theodosius Schall denuo missus est, ut in circumiectis oppidi Vryheid praedium aptum inveniret. Hōc satis celeriter factum est, quā de causā Thomas Spreiter ipse illuc vectus est, ut rem inspiceret. Die autem 14^o m. Iul. a. 1922^o praedium, quod omnibus aptum esse videbatur, cui nomen erat «Mooi Plaats»⁵⁰ et quod circiter quinque chiliometris ab oppido Vryheid distabat, ab Otilianis emptum est.⁵¹

Causas autem, cur hoc praedium Otilianis acquisivisset, Thomas Spreiter attulit haec:⁵²

«1. Quia in itinere nostro mensis Iunii - praeter in loco Nongoma - mihi affabiliter dictum est melius esse, si non veniremus. 2. Quia fundatio in aliquo «situ»⁵³ fieri non potuit. [...] 3. Quia in oriente nullum praedium aptum haberi potuit et quia ibidem areae autochthonum propriae sunt in eo, ut dividantur. 4. Quia plerique catholici hac in regione sunt. 5. Quia hic minimus numerus Protestantium est [...]. 6. Hic bonam opportunitatem loci, ferriviam, aquam, terram relative bonam etc. habemus. 7. Ab omnibus condi-

48 Cfr Thomae Spreiter diarium, 5.6.1922 sqq. (ASO, A.1.8.1). - De hōc itinere fusius etiam Godfrey SIEBER (1995), pp. 56 sqq.

49 Iam die 3^o m. Iun. a. 1922^o Thomas Spreiter ex epistulā quādam suā referens in diario suo (ASO, A.1.1) adnotavit haec: «Ex multis annis in regione missionariā verum monasterium habere desideravi et firmiter in animo mihi est in Zululandiā ab initio hunc scopum perpetrare.» (Textus originaliter Theodiscus).

50 De historiā huius praedii cfr Godfrey SIEBER (1995), pp. 68 sq.

51 Cfr Thomae Spreiter diarium, 14.7.1922 (ASO, A.1.8.1). - Cfr Godfrey SIEBER (1979), p. 74; Godfrey SIEBER (1995), p. 67; Godfrey SIEBER: Benediktinermission im Zululand. In: Leuchter IV (1993), p. 4; Godfrey SIEBER: Eshowe-Mission. In: Leuchter II (²1992), p. 180; Beda DANZER (1929), p. 72; Cyrillus WEHRMEISTER: Entwicklung. In: Lumen Caecis (1998), p. 164; Gerhard SCHEMPP: Überblick über die Entwicklung der Eshowe-Mission. In: Leuchter II (²1992), p. 213.

52 Cfr Thomae Spreiter diarium, 23.1.1923 (ASO, A.1.8.1). - Textus originaliter Theodiscus.

53 «location». - Significat regio, quae tantummodo nigris destinata est.

cionum peritis, ab Oblatis atque Mariannhilliensibus nobis suasum est, ut hic incoharemus [...]. 8. Etiam multum orabatur atque deliberabatur.»

Primi missionarii Otiliani paulatim in praedium immigraverunt, et cum die 3^o m. Aug. a. 1922^o prima missa ibidem celebraretur, ille dies perceptus est ut dies foundationis stationis,⁵⁴ quae secundum montem in propinquo situm «Inkamana» appellabatur.⁵⁵ Ipse Thomas Spreiter die 4^o m. Aug. a. 1922^o ad novam stationem advēnit.

Missionarii Otiliani itaque stationem primariam centralemque in Zululandiā habuerunt. Sed tunc demum labores graves incohati sunt. Nam non solum



*Episcopus Thomas Spreiter et P. Pancratius Pfaffel
anno 1922^o in itinere per Zululandiam.
[Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 349.]*

ipsa opera missionaria suscipienda erant, quā de causā primo catholici disperse habitantes, qui maiore ex parte Africani erant, inveniendi adeundique erant, id quod propter magnum territorium saepe haud facile erat. Itaque ab initio multa itinera suscipienda erant, quibus missionarii vehiculis simplicibus et vectationibus fatigantibus Praefecturam suam iterum iterumque transmigraverunt.

Necessarium etiam erat, ut praedium reddendum esset vera statio missionaria eademque paulatim amplificanda esset. Iam primis mensibus sedulo aedificabatur atque cultura plantarum instituebatur. In initio villa rustica ita mutata

54 *Cfr* Godfrey SIEBER (1979), p. 75; Godfrey SIEBER (1995), p. 73.

55 De hōc nomine *cfr* Godfrey SIEBER (1995), pp. 72 sq.

est, ut ad usum Sororum apta esset. Novum monasterium monachis destinatum aedificabatur, quod tamen satis simplex erat. Eidem nomen Sancti Iosephi inditum est. Hanc domum Ottiliani inhabitare valuerunt inde ab die 11^o m. Dec. a. 1922^o.⁵⁶

Sed plura aedifica necessaria erant. Sic temporis spatio satis brevi Fratres opificinas, oecos scholarum, oecotrophēum, stabula similiaque exstruxerunt et mense Augusto a. 1924ⁱ etiam nova cappella aedificari coepta est.⁵⁷

Tamen omnia satis simplicia erant, cum pecunia pauca, quae ad manum erat, non solum ad aedificia erigenda atque stationem amplificandam adhiberi potuit, sed imprimis etiam necessaria erat ad ipsa opera missionaria exanclanda. Nihilominus labores utriusque generis lente quidem, sed satis bene progrediebantur.

Quaestio autem pecuniaria etiam in Praefectura Apostolica Zululandiae erat nervus rerum, cum ubique deesset. Insuper iam emptione praedii «marsupium» missionariorum quadamtenus vacuefactum erat.⁵⁸ Propter crisim oeconomicam ubique vigentem ex Germaniā atque ex Ottiliensi domo maternā vix quicquam accipi potuit et etiam alibi pecuniam acquirere difficilimum erat. Denique episcopus Thomas Spreiter unicum effugium ex difficultatibus esse putavit in eo, ut ipse ad pecuniam colligendam in Civitates



Novum monasterium
 ab Thoma Spreiter delineatum.
 [Diarium, 11.12.1922 (ASO, I.8.1).]

56 Cfr Thomae Speiter diarium, 11.12.1922 (ASO, A.1.8.1). - Cfr Godfrey SIEBER (1995), pp. 120 sqq.

57 Cfr Godfrey SIEBER (1979), p. 75; Godfrey SIEBER (1995), pp. 120 sqq.

58 Archiabbas Norbertus Weber epistolā die 5 m. Ian. 1923 ad Fidelem von Stotzingen datā (ASO, Z.1(Asien)) dubitavit, num Zululandia diuturno teneri posset, cum condiciones pecuniariae ibidem essent nimis difficiles. Se revera dolere scripsit Ottilianus munus suscepisse statū rerum non satis bene cognito.



*Statio Inkamana Inferior mense Martio a. 1923 recepta.
[Godfrey Sieber (1995), p. 689.]*


Foederatas Americae Septentrionalis veheretur.⁵⁹ Illuc ergo mense Novembri a. 1923^o profectus est, non quidem gaudenter, sed - ut putavit - necessitate coactus. Mansit autem ibīdem usque ad mensem Iunium a. 1924ⁱ, tamen divitas colligere non valuit.⁶⁰ Quia vero episcopus Thomas Spreiter propter hōc iter diutius ab Praefecturā suā aberat, inde difficultates quaedam exortae sunt, cum licentiā Congregationis de Propaganda Fide non petitā regionem suam missionariam reliquisset.⁶¹ Tamen hae dissensiones iterum componi potuerunt. Nihilominus angustiae pecuniariae manserunt per plures annos. Tamen Otiliani ibīdem quōque paulatim et gradatim bonos progressūs fecerunt.⁶²

59 *Cfr* Godfrey SIEBER (1979), pp. 122 sq.; Godfrey SIEBER (1995), p. 83; Godfrey SIEBER: Eshowe-Mission. *In*: Leuchter II (²1992), p. 181. - Scitū autem digna est epistula, quam Thomas Spreiter die 21^o m. Oct. a. 1923^o immediate ante iter Americanum ad Bonifatium Sauer misit (ASO, Z.3.0.1.19), ubi scripsit se ut mendicum in Americam vecturum esse, sed nihil aliud relinqui, nisi perire atque fame comprimi vellent. Se non multum exspectare, tamen saltem aliquid et se aes alienum suum amovere velle. Euangelizationem paganorum in Praefecturā suā sine fundamento oeconomico fieri non posse. Insuper Europaeos ibīdem habitantes non intellegere etiam nigritas animam habere.

60 Postea P.rem Pancratium Pfaffel tamquam legatum specialem ab aliis officiis liberatum misit, qui per plura decennia pecuniam pro missione Africae meridionalis colligere conatus est.

61 De his difficultatibus fusius *cfr* Godfrey SIEBER (1995), pp. 79 sqq.

62 De talibus progressibus singillatim et fusius *cfr* imprimis Godfrey SIEBER (1995), pp. 79 sqq.; sed etiam brevius atque modo indicis Gerhard SCHEMPP: Überblick. *In*: Leuchter II (²1972), pp. 213 sq.




*Ichnographia Inkamanae Inferioris anno 1924^o delineata
(quoad nomina Latina adaptata).
[Godfrey SIEBER (1995), p. 675.]*

Praeterea aliud problema remansit solvendum. Sicuti iam in conexū consultationum anno 1921^o Romae habitaram commemoratum est, Thomas Spreiter duos districtūs superadditos Praefecturae suae adiungendos habere voluerat, ut regio missionaria cum finibus politicis Zululandiae congrueret. Quod illo tempore ei non contigerat. Tamen tempore, quo adhuc in Germania versabatur et Praefectura Zululandiae ei iam tradita erat, episcopus Thomas Spreiter iam denuo conatus est hōc problema solvendum curare. Itaque die 28^o m. Ian. a. 1922^o epistulam ad Praefectum Congregationis de Propaganda Fide direxit eum rogans, ut illi quattuor districtūs meridionales⁶³ quōque Praefecturae adiungerentur.⁶⁴ Abbati Bonifatio Sauer, qui novas Constitutiones Otilienses

63 Id est Eshowe, Mtunzini, Nkandla, Nqutu. Agitur itaque non solum de districtibus Oblatorum, sed etiam de illis duobus districtibus, de quibus in primis deliberationibus iam sermo erat et qui denique Praefecturae Apostolicae non erant adiunctae.

64 Hanc epistulam eiusque argumenta Thomas Spreiter commemorat in diario suo, 28.1.1922 (ASO, A.1.8.1). De compensatione Oblatis dandā subiunxit eam omnino necessariam esse, cum ipse bene sciret atque sentiret, quid significaret opera vitae amittere, quae non retribuerentur. - *Cfr* etiam Godfrey SIEBER (1979), p. 77; Godfrey SIEBER (1995), p. 94.

Romam transportaturus erat, hanc epistolam tradidit eumque nonnullis aliis argumentis instruxit, ut ille tamquam mediator cum Cardinali Villoelmo van Rossum hanc quaestionem tractaret. Bonifatius Sauer officium suum certe bene atque diligenter explevit, sed etiam idem nihil definitivum efficere



*Conventus monasterii Inkamanae anno 1923^o.
[Godfrey SIEBER (1995), p. 698.]*

valuit. Praefectus Congregationis de Propaganda Fide difficultates quidem bene intellexit, sed nondum quicquam decernere voluit, quia etiam indigentiae Oblatorum atque sententia episcopi Henrici Delalle respiciendae essent. Thomae Spreiter communicabatur utile esse, si primo in ipsā Praefecturā conspectum sibi acquireret atque deinde relationem mitteret, quā acceptā aliquid fieri posset.⁶⁵

Itaque Thomas Spreiter, postquam in Africam meridionalem advēnit et primo itinere circulari conspectum sibi acquisivit, in initio mensis Iulii a. 1922ⁱ talem relationem ad Congregationem de Propaganda Fide misit, quā denuo conclusit fines Praefecturae suae necessario esse mutandos ampliandosque.⁶⁶


65 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 28.2.1922 et 10.3.1922 (ASO, A.1.8.1). - *Cfr* etiam Godfrey SIEBER (1979), p. 77; Godfrey SIEBER (1995), p. 94.

66 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 4.7.1922 (ASO, A.1.8.1), ubi hanc epistolam relationemque commemoravit. - *Cfr* de hac re etiam Godfrey SIEBER (1979), p. 77; Godfrey SIEBER (1995), p. 94.

Iam in fine mensis Maii a. 1922ⁱ Thomas Spreiter ad Cardinalem Villoelmum van Rossum scripserat necessarium esse, ut Otiliani totam Zululandiam acciperent. Nam id, quod haberent, revera esse «*tantummodo putamen, reliqua tamen nucleum*» (textus originaliter Theodiscus). *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 30.5.1922 (ASO, A.1.8.1).

Quamvis responsales Vaticani inclinationem habuisse videntur ad desideria Benedictinorum explenda, tamen plura obstacula exstabant, quae imprimis cum illis stationibus Oblatorum iam commemoratis cohaerebant,⁶⁷ quā de causā solutio non erat omnino in propinquo et tota quaestio multis disputationibus aliquantisper protracta est.⁶⁸

Denique autem plurimis consultationibus inter varios homines habitis plurimisque epistulis invicem missis de illā quaestione intricatā definitive constitutum est. Nam die 11^o m. Dec. a. 1923^o Congregatio de Propaganda Fide decretum promulgavit, quō illos districtūs meridionales regioni missionariae



*Charta geographica Apostolici Vicariatūs Eshowe
(quoad nomina Latina adaptata).
[Godfrey SIEBER (1995), p. 671.]*

67 Difficultates etiam praebuit praedium cannarum sacchariferarum, quam Oblati possidebant et de quo putaverant Thomam Spreiter idem ad lucrum missionis suae augendum omnimodo habere velle. Sed ita res se non habebant. Demum cum Thomas Spreiter compluries et officialiter affirmavisset sibi hōc praedium non esse desiderabile, consultationes atque disputationes efficaces redditae sunt.

68 De his difficultatibus atque disputationibus multis variisque singillatim atque fuse *cf.* Godfrey SIEBER (1995), pp. 95 sqq.; paulo brevius Godfrey SIEBER (1979), pp. 77 sqq.

Ottilianorum adiunxit atque insimul Apostolicam Praefecturam Zululandiae in Vicariatum Apostolicum Eshowe appellatum provexit,⁶⁹ cuius primus Vicarius redditus est episcopus Thomas Spreiter.⁷⁰ Textus vero huius decreti est hic:⁷¹

«Ad futuram rei memoriam. - Quae catholico nomini aeternaque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniant, ea ut mature praestemus Nos admonet supremi apostolatus manus, quo in terris, licet immeriti, fungimur. Iamvero, cum ad maiorem Dei gloriam fideique incrementum visum sit ut in ea Africae meridionalis regione, ubi actualis praefectura apostolica de Zululand exstat, curis alumnorum Congregationis Benedictinae a Sancta Ottilia commissa, novus apostolicus vicariatus erigatur. Nos collatis consiliis cum W. FF. NN. S.E.E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fide praepositis, omnibusque perspectis rerum adiunctis, haec, quae infrascripta sunt, decernenda existimavimus. Nimirum, ut aptius prospiciatur christiani nominis propagationi in evangelizandis praesertim aboriginis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, e finitimo viacriatu apostolico Natalensi quattuor districtus, nempe Mtunzini, Eshowe, Njcanshala et Ugutu, distrahimus sive separamus, eosdemque dictae praefecturae seu missioni de Zululand addimus. Eandem autem de Zululand praefecturam apostolicam, a novis limitibus de quibus supra constitutam, in vicariatum apostolicum erigimus illique nomen facimus de Eshowe.

69 Cfr Cyrillus WEHRMEISTER: *Entwicklung*. In: *Lumen Caecis* (1928), p. 166; Cyrillus WEHRMEISTER (3^o1939), p. 83; Godfrey SIEBER: *Eshowe-Mission*. In: *Leuchter II* (2^o1979), p. 181; Frumentius RENNERT: *Die Benediktinerkongregation von St. Ottilien*. In: Ulrich FAUST / Franz QUARTAL (edd.): *Germania Benedictina. I. St. Ottilien 1999*, p. 809; Godfrey SIEBER (1979), p. 81; Godfrey SIEBER: *Benediktinermission im Zululand*. In: *Leuchter IV* (1993), p. 5; Godfrey SIEBER (1995), p. 103, qui per errorem scribit decretum die 13^o m. Dec. a. 1923^o esse datum.

70 Cfr AAS 16, 1924, p. 101.

71 AAS 16, 1924, pp. 34 sq. - Textus originaliter Latinus.

Die 13^o m. Dec. a. 1922^o Cardinalis Vilelmus van Rossum archiabboti Norberto Weber hanc rem indicavit epistolā hac: *«Laetus sum P.T. significare, quod huius S. Congregationis Fidei Propagandae Decreto quattuor civiles districtus, nempe Mtunzini, Eshowe, Nkanshala et Ugutu, e missione Natalensi separati sunt et Praefecturae Apostolicae de Zululand coniuncti. Item, eodem Decreto, dicta Praefectura ab his novis limitibus constituta, in Vicariatum Apostolicum, nomine Eshowe, erecta est.»* - Textus originaliter Latinus, quem descripserat Thomas Spreiter in diario suo, 24.1.1924 (ASO, A.1.8.1). Eundem textum etiam exhibet Godfrey SIEBER (1995), p. 660.

Haec volumus, mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis constitutionibus et ordinationibus ceterisque, etiam specifica et individua mentione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.»

De querelarum effectū sibi opportunō atque de regionis missionariae suae evectione in Vicariatū Thomas Spreiter comperit, cum adhuc in Americā versaretur.⁷² Contentus esse potuit et contentus erat.⁷³ Nam decreto Vaticano Zululandiae districtū maioris momenti acceperat et regionis missionariae numerus incolarum sic valde auctus est circiter ab ducentis viginti quinque milibus inhabitantium ad trecenta quinquaginta quinque milia incolarum. Tamen hunc in modum etiam labores atque curae augebantur.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LAT. 198, 2014, pp. 497-516]

72 *Cfr* Norberti Weber epistula die 4 m. Ian. a. 1924 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.3.0.1.19).

73 *Cfr* Thomae Spreiter diarium, 24.1.1924 (ASO, A.1.8.1).